

praesagiret, perpaucis ante mortem diebus, cum et Philus, et Manilius adessent, et alii plures, tuque etiam, Scaevola, mecum venisses, triduum disseruit de republica: cujus disputationis fuit extremum fere de immortalitate animorum: quae se in quiete per visum ex Africano audisse dicebat. Id si ita est, ut optimi cujusque animus in morte facillime evolet, tamquam e custodia vinculisque corporis: cui censemur cursum ad deos faciliorem fuisse, quam Scipioni? Quocirca, moerere hoc ejus eventum, vereor, ne invidi magis, quam amici sit. Sin autem illa veriora, ut idem interitus sit animorum et corporum, nec ullus sensus maneat; ut nihil boni est in morte, sic certe nihil mali. Sensu enim amisso, fit idem, quasi natus non esset omnino: quem tamen esse natum, et nos gaudemus, et haec civitas, dum erit, laetabitur. Quamobrem cum illo quidem (ut supra dixi) actum optime est; mecum incommodius: quem fuerat aequius, ut prius introieram, sic prius exire de vita. Sed tamen recordatione nostrae amicitiae sic fruor, ut beate vixisse videar, quia cum Scipione vixerim: quocum mihi conjuncta cura de republica, et de privata fuit; quocum et domus, et militia communis; et id, in quo est omnis vis amicitiae, voluntatum, studiorum, sententiarum summa consensio. Itaque non tam ista me sapientiae, quam modo Fannius commemoravit, fama delectat, falsa praesertim; quam quod amicitiae nostrae memoriam spero sempiternam fore: idque mihi eo magis est cordi, quod ex omnibus saeculis vix tria, aut quatuor nominantur paria amicorum. Quo in genere sperare videor, Scipionis et Laelii amicitiam notam posteritati fore. *Fann.* Istud quidem, Laeli, ita necesse est: sed, quoniam amicitiae mentionem fecisti, et sumus otiosi, pergratum mihi feceris (spero item Scaevolae), si, quemadmodum soles, de ceteris rebus, cum ex te quaeruntur, sic de amicitia disputabis, quid sentias, qualem existimes, quae praecepta des. *Scaev.* Mihi vero pergratum erit: atque, id ipsum cum tecum agere